

ti sororem in uxorem duxit, genuitque ex ea Ioannem Lincolniae Comitem, qui cum regni haeres à Richardo Tertio declaratus fuisset, ambitio ejus se continere non potuit, quæ illico prorupit contra Henricum Septimum ad suam ipsius perniciem, qui bello intestino statim cecidit, ad patris interitum, qui dolore confectus animam edidit, & totius familiae ruinam, quæ simul extincta concidit. Edmundus enim ejus frater, qui Suffolciae Comes dictus, in Henricum Septimum, qui poenitentia sapius quam poena contentus ipsi criminum gravissimorum gratiam fecerat, in Flandriam profugus res novas moliri coepit, sed paulo post in manus Henrici, qui vitam sancte promisit, à Philippo Austriaco Burgundiae Duce, contra jus hospitii (ut tunc clamitarunt) traditus, in carcerem conditus; & ab Henrico Octavo, qui patris promisso se teneri non existimavit, cum Galliam primum cogitaret, ne ipso absente aliquid domi turbaretur, morte affectus. Richardus tamen frater ejus junior in Gallia exul Ducis Suffolciae titulum usurpavit,

qui ultimus quod scio, ex hac stirpe masculus in Papiensi praelio, quo Rex Galliarum Franciscus Primus captus, MDXXIII, strenue inter confertos hostes occubuit. Cui ob virtutem ipse hostis Dux Burbonius funus fecit apparatissimum, atratusque interfuit. Postea vero Henricus Octavus Carolum *Brandon*, cui Mariam ejus sororem Lodovici XII Galliarum regis viduam in uxorem dederat, Ducis Suffolciae titulo ornavit, cui successit Henricus filiulus, & illi Carolus frater, quibus sudore Britannico anno MDLI extinctis, Henricum *Grey* Dorcestriae Marchionem, qui Franciscam eorum sororem duxerat, Edwardus Sextus eo titulo adauxit, sed ille non diu usus, ob affectatum pro filia regnum sub Maria regina obruncatus, Suffolciensium Ducum erat ultimus. Iam inde jacuit Suffolciae titulus, donec nuperrime Iacobus Rex Thomam Baronem *Howard de Walden*, Thomae *Howard* Ducis Norfolciae filium secundogenitum quem sibi à cubiculo ob perfectam fidem & virtutem constituerat, Anno Regni sui primo Suffolciae Comitem creaverit.

*Habentur in hoc agro Paræcia 575.*

